

**1980-06-03 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Vigilem Curam’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

**VIGILEM CURAM**

**IN REPUBBLICA MALIANA NUNTIATURA APOSTOLICA CONSTITUITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Vigilem curam agentes de Christi Ecclesia, quae divino mandato omnes populos invitat ad Evangelium agnoscendum et servandum ut salvi fiant, Nos quantum possumus inceptis obsecundamus eidem consilio quoquo modo profuturis, in quibus profecto annumerantur necessitudinis rationes inter varias Civitates et Apostolicam Sedem ineundae confirmandae fovendae. Hac ipsa de causa, magnam quidem capientes laetitiam ex frequentiore Afrorum multitudine propenso animo vocem Nostram audiente, hoc ipso die Nos vi et potestate Nostra per Apostolicas has Litteras translaticio more datas Nuntiaturam Apostolicam in Republica Maliana constituimus eidemque Nuntiaturae eadem deferimos officia atque iura, quae ceterarum huius ordinis Legationum sunt propria. Quae singula edicimus, statuimus, decernentes ut nunc et in posterum Apostolicae hae Litterae Nostrae vim suam habeant. Contrarias nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Iunii, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostri secundo.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*